



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Priori Et Fratribvs Andrensis monasterij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ponunt consilio permanere concedere dignemur ne contra Christianos cogantur ad bellum procedere vel pro rebus secularibus, veluti pro petendo communi, juramentum prestare. Nos autem predicta concedimus quantum sine aliorum prejudicio & scandalo possunt salubriter observari, maxime cum permissione secularium dominorum. Datum Laterani xv. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

PRIORI ET FRATRIBVS
Andrensis monasterij.

Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum &c. usque perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus inclinati, ne quis infra parrochiarum vestrarum terminos oratoria seu xenodochia construere contra vestram & dioecesani Episcopi voluntatem presumat, salvis privilegijs Pontificum Romanorum, auctoritate presentium inhibemus. Nulli ergo &c. usque incursum. Datum Laterani xvi. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

HENRICO PRIORI
monasterij Andrensis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convegit adesse presidium; ne forte cujuslibet temeritatis incursum aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & praefatum monasterium sancti Salvatoris & sanctae Rotrudis virginis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis memoriae Paschalis Papae II. praedecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti privilegio communitimus. In primis siquidem statuantes ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio &c. usque observetur. Praeterea quascunque possessiones, quaecunque bona idem monasterium in praesentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneat in quibus haec propriis duximus

Tom. II.

exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, altare villae Andrensis, Capellam sanctae Mariae infra oppidum Gignes, altare de Bredenarda, altare de Lullingahem, altare de Fernes, & altare de Elingahem, cum omnibus decimis & pertinentiis eorum, & universa quae bonae memoriae Balduinus Comes Gisenensis cum uxore sua Adela & Manasses ejus filius vel Barones eorum eidem monasterio contulerunt, videlicet pasturam omnem circa ipsum locum Andernes, & commoditatem aquae, paludis, & cessipitum, terram de Hantengehem cum bosco, villanis, & omnibus redditibus suis, in villa Gignes stagnum & sedem molendini, terram de Suavatas & manerium cum villanis suis & commoditate aquae & tertia parte decimae, terram de Campagnes & tertiam partem decimae, terram & comitatum de Bredenarda cum manerio ibidem sito & eleemosyna à nobili viro A. Gisenensi Comite vobis intuitu pietatis collata, terram, villanos, boscum, stagnum, & molendinum quae Garinus de Filnes & mater ejus Ecclesiae vestrae pietatis intuitu concesserunt, altare in villa Bocredes cum omnibus decimis & pertinentiis suis, duas portiones reddituum altaris de Terdinghaem, in parrochia de Pithen manerium cum terra & comitatu, in monte qui dicitur Mas terram, manerium cum bosco, pastura, & comitatu, in parrochia de Spelleka duas partes totius decimae, in villa Elcekam decimam à bonae memoriae Petro Abbate vestro acquisitam, in territorio de Merch redditus quos à Gualtero Blundo & Theoderico Clerico & Herberto Folin Milite noviter acquisistis, in villa quae dicitur sancti Audomari Ecclesia terram in eleemosynam vobis collatam, in villa Craierovic unam marcam super terram Balduini quondam fratris vestri vobis assignatam, in villa Landertun decimam quam habetis ex dono nobilis viri * Ingelramni de Fielnes, in villa Erudinghem tertiam partem totius decimae, in villa Buxin decimam quondam Danielis, terram & redditus quos noviter acquisistis, foragium quoque de vinis quae ad vestros usus emittis per totum castrum sancti Audomari à bonae memoriae * Willelmo Castellano vobis concessum & suo scripto nihilominus confirmatum, in villis Iorni, Audenhem, Foxole, Landertim, Westehoc, & Antingherem, terras, societates, & decimas ab antiquis temporibus à vobis

H h

Epif. 199.
De capellis
suo contractu
in iura terti
monasterij.
Vide u. 9. Spi
cilegij Dader.
117. 181.

Epif. 100.
De confirmat
ione privileg
iorum.
Vide u. 9. Spi
cilegij Dader.
117.

Epif. 117.
uper totum

Epif. 198.
o recocant
bellum pro
dere contra
Christianos.

Vide ro. 9.
Spicilegij Da
cheriam pag.
498.

* Vide ibid.
pag. 488.
& seqq. 514.

* Vide ibid.
pag. 486. 517.